

tatos confirmandos, alia apud Adversarios Scripturæ, vel Atheos refutandos & profligandos.

*spud dociles
vel tentatos,*

I. Utraque demonstratio ad eundem tendit finem, ut lector vel auditor verbi, de divina ejus origine & autoritate eruditatur & convincatur, diversitas autem subjectorum disparem requirit methodum, ad felicius assequendum scopum. Cum convertendis simplicioribus, & nonnullis tentatis, non prolixa disputatione, non instruta argumentorum acie congregendum nobis est, eo quod ignorantia ipsorum disputationi vix locum relinquit, & informatione potius eget, quam operosa exceptionum occupatione: hinc in rem ipsam statim introducendi, & præmissis seriis ac devotis precibus, ad hoc admittendi sunt sacrarium, in quo Deum audiant loquentem, qui ipse sibi fidem & autoritatem conciliabit, non secus ac apud Israelitas, cum ad montem Sinai adeo magnifice se illis manifestaret Exod. XIX. &c. Secus autem se res habet cum iis, qui vel Scripturæ lectionem fastidunt & nauseant, vel eidem in faciem velut ac in os ogganniant, & obicem Spiritui S. ponunt, per verbum illos erudire & convertere cupienti; quibus præjudicata adversus Scripturam opinio solidis eximenda est argumentis, & os obstruendum, ne habeant quod criminentur, evellendi quoque tentatis scrupuli, qui dubiam ipsis reddunt Codicis fidem, demumque veneratio quædam Scripturarum persuadenda & æstimium, ut ad lectionem ejus non lubentes modo & avide, sed & venerabundi accedant, & Spiritui S. in Scripturis loquenti patulas præbeant aures. Sic Apostolos in Actis & Epistolis suis toties animadvertisimus aliter longe cum gentilibus egisse convertendis, aliter cum Judæis contradicentibus, vel cum Pseudo-Apostolis, vel denique cum turgidis & nugivendulis seculi sapientibus, quorum illos quidem simplici ex Scriptura informatione ad fidem Christi perduxerunt, hos vero operosa excipere ac profligare refutatione allaborarunt.

*per Scripturæ
lectionem,*

II. Prioris ergo generis homines ad ipsam remittantur Scripturam, moneanturque ut eam, post fusas ad Deum, pro illuminazione sua, preces ardentissimas, pie, reverenter, attente & ita legant, ut Deum secum loquentem cogitent, cuius stultitia humanam omnem sapien-